

Remission. cujus dispositio licet loquatur de interdicto generali, speciale tamen excludere non videtur, ut in cit. c. *Quod in te* notat Abbas n. 10. Sylvester loc. c. n. 10, et alii.

213. *Limitatur tamen dictus effectus et quomodo?* — Porro tempore interdicti localis generalis (secus est in personali, vel si alicujus terræ populus interdicto notetur nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ, ne alioquin sententia effectum careat) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferi, et in alio sacro non interdicto sepeliri, arg. c. *Si sententia de Sentent. excommun.* in 6.

214. Quinimo, si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto in locum sacrum transfereendus, si id commode fieri possit, ut post Gloss. in c. *A nobis, de Sentent. excommun.* in 6, §. *Forma*, notat Navarrus, cap. xxvii, *Manual.* num. 176. Pirhing, h. t. n. 251.

215. *Si quis in loco interdicto sepelitur, non est amplius exhumandus.* — Si autem contingit contra prohibitionem juris aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, non erit is extrahendus quia hoc non habetur statutum Glossa cit. et Engel, h. t. numer. 96. Quamvis secus sit dicendum de excommunicatis, quippe qui in loco sacro sepulti debent exhumari, c. *Sacris de Sepult.* Nam hæc pœnis non est extendenda ad alium casum jure non expressum, simulque excommunicatio privat communione fidelium, non vero interdictum.

216. *Violans interdictum, peccat graviter.* — Quæritur IV. Qualis, et sub quibus pœnis sit obligatio servandi interdictum? Resp. I. Interdictum servandi est obligatio gravis, adeo ut illud violare ex genere suo sit peccatum grave. Communis et certa doctorum. Ratio est, quia interdictum violantes, præceptum Ecclesiæ in gravi materia violant, consequenter mortaliter peccant, per ea quæ de obligatione legum diximus, l. I, t. II, *de Constit.*

217. *Clericus violans interdictum incurrit varias pœnas. Et quidem I. Evadit irregularis.* — Resp. II. Personæ ecclesiasticæ, tam regulares, quam sæculares interdictum violantes, præter culpam mortalem varias incurunt pœnas. Patet inductione. Nam primo contrahunt irregularitatem, textu expresso c. *Is qui*, 18, §. fin., et c. *Is cui*, 20, h. t. in 6.

218. II. *Suspenditur ab officio et beneficio.* — Secundo incurrunt suspensionem, ab officio, beneficio, et jurisdictione, c. *Tanta est* 18, *de Excessib. prælat.* ubi summarium sic habet: « Non servans interdictum suspensus est ab officio, beneficio, et omni jurisdictione. » Gl. ib. vers. *Irritas* et Abbas, num. 1. Suarez ubi supra, sect. IV, num. 16. Laym. l. I, tr. V, p. IV, c. 3, n. 3, cum aliis volentes, hanc pœnam ipso facto incurere omnes cujuscunque interdicti violatores.

219. *Non tamen ipso facto.* — Gonzalez e contra in cit. cap. fin. *de Excessib. prælat.*, num. 2, cum Bonacin., et aliis satis probabiliter docet, violantes interdictum ordinariæ non ipso jure esse suspensos ab officio et beneficio, sed suspendendos primum; et ar. desumpto ex secunda parte c. cap. fin. ubi primum suspendendi jubentur violatores interdicti. Nec obstare videtur, quod episcopo interdictum violantis sententia et alia acta ibidem delarentur irrita; quia specialis ratio erat de illo episcopo, utpote qui non solum ut interdictus illa facere, sed etiam alios ad violandum interdictum Sedis apostolicæ inducere, et compellere præsumpsit.

220. III. *Privatur voce activa et passiva eligendi.* — Tertio privantur jure passivæ et activæ electionis, ita ut nec eligere valeant c. *Is qui*, h. t. in 6, nec ipsi eligi aut postulari c. 1, *de postulat. Prælat.* Layman, loc. cit. Sylvester, §. *Interdictum*, 6, q. 2.

221. IV. *Perdit privilegium sepulture tempore interdicti.* — Quarto perdit ipso facto privilegium, ipsis alias de jure c. *Quod inter de Pœnitent. remission.* ut c. *Is cui*, h. t. in 6, competens, vi cujus tempore interdicti sepeliri possunt in loco sacro, per dicta num. 223.

222. V. *Regulares non servantes interdictum sunt etiam excommunicati.* — Quinto religiosi etiam exempti non observantes interdictum generale locale, et quod ab ecclesia cathedrali, et parochiali observari vident, præter memoratas pœnas incurrunt excommunicationem Clemen. 4, h. t. ubi additur idem intelligendum esse de cessatione in divinis.

223. *Regulares non tantum servare, sed etiam publicare tenentur interdicta ab ordinariis lata.* — Porro religiosi etiam exempti non solum servare, sed et publicare tenentur interdictum et alias censuras ab episcopo latas, quando episcopus id mandat, concil.

Trid. sess. 23, *de Regular.*, c. 12, ibi: « Censuræ et interdicta necdum a Sede apostolica emanata, sed etiam ad ordinariis promulgata, mandante episcopo a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, et servantur. »

224. *Salvis tamen eorum privilegiis.* — Hæc autem et præfata de religiosis intellige, salvis eorum privilegiis circa interdictum, de quibus vide compendium privilegiorum, et etiam nostrum Augustinum Matthæum in suo libro intitulato *Officialis curiæ*, §. *Interdictum*, c. 20.

225. *Laici non servantes interdictum, et alios non servare facientes peccant graviter, et sunt excommunicati.* — Resp. III. Quamvis contra laicos interdictum violantes pœnæ speciales in jure reperiantur statutæ, tamen illud certum est, quod laici quicunque præsertim domini temporales, et officiales ipsorum, qui clericos quomodolibet compellunt, aut cogunt, ut in loco interdicto Missas, vel alia divina publice et solemniter celebrent: item qui pulsatis campanis, vel voce præconis, vel alio modo alios præsertim excommunicationis vel interdicti sententia specialiter innodatos, ad divina audienda evocant, aut convocant: item qui eosdem nominatim excommunicatos, vel interdictos, ne ad clericorum monitionem de ecclesiis tempore divinorum exeant, impedire præsumunt; aut ipsimet excommunicati, vel interdicti ad monitionem exire recusant, vel divinis violenter se ingerunt, gravissime peccant, et excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrant, prout fere in terminis expresse statutum habetur Clement. *Gravi*, 2, h. t. quæ digna est lectu, tenentque cum communi ac certa aliorum, Suarez, *de Censuris*, dis. 22, sect. 4, n. 27. Pirhing, h. t. n. 245.

§ VIII.

DE JUDICE CENSURARUM, ET DE ABSOLUTIONE AB EISDEM; PRÆSERTIM AB EXCOMMUNICATIONE; UBI ETIAM QUÆDAM DE POTESTATE ABSOLVENDI A CENSURIS, AC ALIIS TAM RESERVATIS, QUAM NON RESERVATIS PECCATIS COMPETENTE REGULARIBUS.

226. *Solus ecclesiasticus, minime vero laicus est judex censurarum, earumque valorem, vel nullitatem cognoscere, et declarare valet.* — Quæritur I. Quis sit judex censurarum, et ad hoc, ut de illarum justitia, vel injustitia, et valore, vel nullitate judicare, consequen-

ter censuratos præsertim excommunicatos a censura et effectibus illius immunes, et debilitatos vel obligatos declarare valeat? Resp. I. Hujusmodi judicem esse solum superiorem ecclesiasticum, nullatenus autem aliquem quacunque tandem dignitate fulgentem laicum. Ita unanimes et certa. Ratio patet, quia censuræ ex natura et essentia sua sunt pœnæ et materiæ spirituales ac ecclesiasticæ a sola Ecclesia constitutæ, juxta omnes, in materia autem spirituali solum ecclesiasticum, nullatenus autem laicum aliquem posse esse judicem, concursus omnium doctrina est, ob clara jura c. 2, *de Judiciis*, ubi universaliter et absolute dicitur: « Prohibemus, ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant; » c. *Tuam de ordin. cognit. c. Inquisitionis* 18, §. *Prohibemus de hæretic.* in 6, can. 1, *Denique* 5, can. *Si imperator catholicus est*, 11, dist. 96, cum Concordantiis: et amplius jam dictum habetur, l. II, tit. 1, § 3, a n. 66. Quibus accedit manifesta decisio concilii Trid., sess. 23, *de Reform.*, c. 3, ubi ad propositum in specie expresse declaratur, quod utrum excommunicatio aliqua rite lata sit, non ad seculares, sed ecclesiasticos cognitio pertineat. Quare.

227. *Laici in causa censurarum partes judicis assumentes sunt ipso facto excommunicati.* — Resp. II. Dominos sæculares quoscunque, eorum officiales et ministros, necnon quoscunque alios quacunque tandem excogitabili dignitate fulgentes laicos non tantum gravissime peccare, sed excommunicationem Papæ reservatam ipso jure incurrere, si in causa censurarum partes judicis quoquomodo assumunt; quia vi Bullæ Cœnæ universaliter ipso facto excommunicati existunt, « qui in causarum spiritualium cognitione se tanquam judices interponunt. »

228. *Et quidem in specie I. Qui publice censuratum faciunt adesse divinis.* — Et quidem in specie I, ipso facto excommunicati sunt, qui censuratos, præsertim nominatim excommunicatos, et interdictos, ut ad divina audienda in ecclesiis libere conveniant, vocant, hortantur, instigant, vel etiam pulsatis campanis, aut voce præconis convocant, vel omnino compellunt: sicut etiam, qui alios præsertim subditos, ne etiam moniti tempore divinorum ab Ecclesia discedant, prohibent; sicut etiam ipsi ibidem remanentes, textu expresso supra a n. 233, jam citato, et Clem. *Gravis*, 2, h. t. quam pro commo-

ditate lectoris per extensum hic referre, utile duxi, et sic sonat.

« Gravis ad nos praelatorum querela perduxit, quod nobiles quidam, et domini temporales (terris eorum ecclesiastico supposito interdico) nedum in locorum suorum capellis, sed in cogitatis, et aliis insignium locorum ecclesiis, Missas et alia divina officia publice et solemniter celebrari faciunt. Ad officia eadem celebranda; nunc hos nunc illos vocantes, et interdum (quod est deterius) compellentes: hisque non contenti excessibus, per campanarum non solum pulsationem, sed et voce praeconis populos etiam interdictos, ut (interdicti non obstante sententia) ad audiendas Missas hujusmodi veniant, faciunt evocari nonnulli quoque ipsorum suis plerumque subjectis, ne (licet excommunicationis, et interdicti sententia publice sint innodati) de ecclesiis, dum in ipsis Missarum celebrantur solemnia, instantibus etiam celebrantibus, exeant, praecipere non verentur. Ex quo frequenter contingit, quod non sine Dei offensa, clerique ac populi scandalo ipsa Missarum solemnia remanent inexplata. Ne igitur excessus sic graver excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum, praesumptores praefatos, qui locis interdicto suppositis, quemquam de caetero divina celebrare officia quomodolibet cogere; aut qui modo praedicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis praesertim, vel interdicti ligatos sententia evocare: seu qui excommunicati publice, aut interdicti de ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, a celebrantibus moniti, ut exeant, prohibere, necnon excommunicatos publice, et interdictos, qui in ipsis ecclesiis nominatim a celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere praesumpserint, excommunicationis sententia (a qua per Sedem duntaxat apostolicam possint absolvi) sacro approbante concilio innodamus. »

229. II. *Qui censuras nullas declarare praesumunt.* — II. Ipso facto excommunicati sunt omnes illi domini saeculares, eorumque magistratus, officiales iudices, etc., qui censuram ab ecclesiasticis ordinariis latam cognoscere, examinare, judicare, nullam declarare; et publicare praesumunt (nisi nullitas sit prorsus manifesta et notoria, uti bene limitat Laym., l. I, tr. IX, p. 4, c. 6, n. 2) cum juxta Bull. Coenae, § 14, omnes illi excommunicationem ipso facto incurrant a quo

se de causarum spiritualium (qualis indubitate juxta omnes est causa censurarum) cognitione tanquam iudices interponunt, etc. etiamsi imperiali, regali; ducali, vel alia quacunquē praefulgeant dignitate; » sunt verba Bullae.

230. III. *Vel iudicem ecclesiasticum impediunt, ne per censuram latam, vel ferendam, alios ad rectum compellat.* — III. Ipso facto excommunicati sunt omnes et singuli quacunquē dignitate fulgentes saeculares, qui iudices ecclesiasticos directe vel indirecte quomodolibet impediunt, ne excommunicatione, vel alia censura aliquem juxta praescriptum SS. canonum, et legum ecclesiasticarum ad praestandam debitam obedientiam, reverentiam, vel satisfactionem jam lata, vel ferenda compellant, prout statutum habetur in Bulla Coenae, § 14 et § 16, ubi excommunicantur universaliter omnes, « qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores, et inferiores praelatos, et omnes alios quoscuquē iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet directe vel indirecte impediunt, quominus sua jurisdictione ecclesiastica contra quoscuquē utantur, secundum quod canones et sacrae Constitutiones ecclesiasticae et decreta conciliorum generalium et praesertim Trid. statuunt; » quod idem etiam § 24, habetur, dum excommunicantur omnes, « qui executionem processuum, ac decretorum hujusmodi quomodolibet impediunt vel suum ad id favorem, consilium, vel assensum praestant. »

231. IV. *Qui illos vexant, in quorum favorem censuræ late sunt, vel ferri volunt.* — IV. Pariter excommunicati sunt ipso facto omnes et singuli, qui quascunquē personas quomodolibet compellunt, ut consentiant, vel procurent, quatenus excommunicatio, vel alia censura in favorem ipsorum contra alios lata, vel comminata, per absolutionem tollantur, vel decreta, et inhibitiones sub censuris revocentur, aut ne executio eorum fiat, etc., quia expresse statutum habetur saepe citata Bulla Coenae, cit. § 14, ubi excommunicantur, « qui partes actrices quomodolibet compellunt ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alia in eis decreta, et ad faciendum, vel consentiendum eis contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et poenis in illis contentis absolvi. »

232. V. *Qui contra censuras recurrunt ad potestatem saecularem.* — V. Ipso facto ex-

communicantur etiam omnes et singuli, qui comminata, vel lata per decretum et sententiam iudicis ecclesiastici contra se excommunicatione, vel alia censura recurrunt ad potestatem saecularem, ibique inhibitiones, prohibitiones, etc., procurant, textu claro cit. Bulla Coenae, § 16, ibi: « Ac etiam eos, qui ipsorum ordinariorum: vel ab eis delegatorum quorumcunquē sententias, et decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias, aut alias curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata etiam poenalia ordinariis et delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant. »

233. VI. *Qui ita recurrentibus assistunt.* — VI. Ipso facto excommunicati sunt etiam iudices, et potestates saeculares, qui ad instantiam ita recurrentium contra decreta et censuras iudicis ecclesiastici tales inhibitiones et prohibitiones decernunt, vel exequuntur c. § 16, Bullae Coenae ad finem: ibi: « Eos quoque, qui haec decernunt et exequuntur. »

234. VII. *Vel qui ad recurrentum praebent consilium, favorem, auxilium.* — VII. Ipso facto excommunicati sunt omnes et singuli, qui consilium, auxilium, aut favorem praebent alii, ut ob comminatam, aut latam per decretum, vel sententiam iudicis ecclesiastici excommunicationem, vel aliam censuram ad potestatem vel curiam saecularem recurrat, et praefatas inhibitiones mandata, etc., procuret, cit. § 16, ibi: « Eos quoque, qui dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem eisdem. » Prout hodie passim facere videmus quosdam advocatos, qui ut vim et executionem sententiarum, vel decretorum iudicis ecclesiastici eludant, declinent, impediunt, retardent, etc., clientibus, vel etiam aliis recursum ad potestatem saecularem suadere non verentur. Vae illis.

235. *Nec excusantur, si aliquid horum faciunt, sub praetextu nullitatis; nisi haec sint manifesta, vel notoria.* — Nec excusantur, si aliquid ex praefatis a n. 233, attentant sub praetextu non observatae debitae, et necessariae formae in ferendis censuris, seu sub praetextu nullitatis ipsarum « quia non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertinet, » uti expresse declaratur a Concilio Tridentino, sess. 25, de Reform. c. 3, nisi nullitas sit prorsus manifesta et notoria, prout a Layman jam limitatum est supra n. 239.

236. *Neque excusantur, si faciunt sub praetextu violentiae prohibendae.* — Pariter non excusantur, si horum aliqui attentant « sub praetextu violentiae prohibendae, aut aliarum praetensionum, aut etiam donec ipsi ad nos (Sedem Apostolicam videlicet) informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, » uti in terminis habetur in citata Bulla Coenae, § 15. Minus excusantur ridendo, et contemnendo excommunicationes, juxta dicta supra n. 133.

237. *Doctrina practica, quam multi hodie sint excommunicati.* — Colliges, quam multi hodie adhuc ipso facto excommunicati existant, cum passim contingere videamus malignis hisce, et tepidis temporibus, quod, dum reverendissimi ordinarii, vel alii iudices ecclesiastici excommunicationem, vel alias censuras juxta praescriptum S. canonum, conciliorum, et constitutionum ecclesiasticarum ferre volunt, et actu ferunt, vel ipso jure et facto ab aliquibus jam contractam declarent, domini saeculares, vel eorum ministri, officiales, curiae, tribunalia, concilia, magistratus, et alii hujusmodi censuras examinare, discutere, criticare, judicare, et in dubium vocare, easque explorare et redire praesumant; indeque alii eas pro nullis et invalidis declarare, alii, ne affigantur, aut promulgentur, prohibere, alii, ut non observentur, nec curentur, praecipere, alii, ut accedendo ecclesias, audiendo divina, aliaque per censuras prohibita exercendo, positive violentur, mandare, alii minis, vel etiam actualibus molestiis iudices ecclesiasticos a ferendis censuris, terrere, vel ad absolutionem earum compellere, alii ob censuras sibi comminatas, vel illatas, ad potestatem saecularem recurrere, alii ita recurrentibus positive assistere, alii quaedam ex dictis saltem consulere, saepissime non vereantur, prout per varia specifica, et individua scandalosa, viva exempla, deploranda experientia, proh dolor, abunde patet; qui tamen omnes juxta dicta ipso facto excommunicati existunt, etiamsi imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate, prout in terminis loquitur Bulla Coenae § 24, ubi insuper revocat, et nullius momenti declarat omne quaecunquē privilegium, praescriptionem, consuetudinem immemorabilem in contrarium.

238. *Nihil eas juvante praetextu non receptae, vel consuetudine abrogatae Bullae Coenae.*

— Nec patrocinatur alicui horum prætextus non receptæ Bullæ, vel consuetudinis in contrarium, per amplius dicta tit. 8, de *Hæreticis*, a n. 79.

239. *Causa fusiùs de hac materia loquendi.* — Placuit dicta hucusque in § *Præsenti*, paulo amplius, et quidem simpliciter, atque cum aliqua repetitione adducere, sperando, fore, ut Deus unum saltem vel alium legentem laicum a pessima et periculosa corruptela iudicandi, spernendi, et violandi censuras averlat.

240. *Excommunicatio major etiam præstita satisfactione non tollitur sine absolutione.* — Quæritur II. Quis possit absolvere a censuris excommunicationis? Ante responsionem nota, ordinarie excommunicationem majorem semel contractam etiam cessante contumacia excommunicati, et præstita satisfactione, sine absolutione non tolli, can. *Si episcopus*, cau. 11, q. 3, c. *Ex litteris*, 11, de *Constit.* c. *Qua fronte*, 23, de *Appellat.*, cum concordantiis, etiamsi is, qui excommunicationem tulit, vel etiam ipse excommunicatus moriatur, cit. can. *Si episcopus*, cau. 11, q. 3, c. *Pastoralis*, 11, § *Præterea*, de *Officio ordinar.* c. *A nobis*, 28, h. t. cum concordantiis. Navarrus, *Manual.* cap. xxvii, n. 271. Layman, lib. I, tr. V, p. 1, cap. vii, n. 1, cum communi et certa aliorum.

241. *Nisi auctoritas velit.* — Dicitur autem notanter, ordinarie loquendo; quia limitatur in casu, quo auctor excommunicationis illam sub certa conditione fert, simulque declarat, quod non nisi usque ad talis conditionis adimpletionem duret; quia tunc utique ea præstita cessat sine alia absolutione, ut si iudex ecclesiasticus dicat, nisi intra octiduum restitueris, sis ipso facto excommunicatus, atque in excommunicatione tam diu permaneas, donec restituas. Layman, loc. cit. Covarruvias, in c. *Alma mater*, p. 1, § 12, n. 5. Suarez, de *Censuris*, disp. 7, sect. 1, n. 11. Ratio est; quia in tali casu videtur absolutio implicite contenta in ipsa sententia excommunicationis; consequenter alia necessaria non est. Hoc notato.

242. *Si excommunicatio lata est ab homine per sententiam specialem, absolvere ab illa potest is solus, qui eam tulit.* — Resp. I. Si excommunicatio major specialem sententia lata fuit ab homine, episcopo v. g. ordinarie ab illa is solus, qui eam tulit, vel illius delegatus, vel ferentis successor, aut superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, vel

delegatus absolvere potest. Abbas, in c. *Pastoralis*, de *Officio ordinar.* n. 1, Layman, loc. cit. n. 2. Navarrus, *Manual.*, cap. xxvii, n. 40. cum communi aliorum. De ferente et delegato ipsius patet ex c. *Pastoralis*, 11, § *Præterea*, de *Officio ordinar.* c. *Quærentis*, 26, de *Offic. delegat.* Ratio desumitur ex illa regula, ejusdem est solvere, et ligare can. *Verbum* dist. 1, de *Pœnitent.*

243. *Et ejus successor.* — De successore constat ex can. *Si episcopus*, cau. 11, q. 3, quod intellige non solum de perpetuo, sed etiam de temporali, ut proin etiam capitulum Sede vacante absolvere possit a censura per antecessorem lata, cap. unic. de *Majorit. et obedient.* Ratio est; quia sicut capitulum in aliis, sic etiam in jurisdictione absolvendi a censuris succedit Sede vacante.

244. *Ac superior obtinens plenam jurisdictionem in auctorem censuræ, qualis non est archiepiscopus respectu episcopi.* — De superiore vero notandum, per hunc ad præsens intelligi illum, qui plenam in auctorem censuræ obtinet jurisdictionem; qualis est Papa respectu omnium, generalis respectu superiorum totius ordinis, provincialis respectu superiorum provinciæ; non item archiepiscopus respectu suorum suffraganeorum, nisi aditus per querelam, de quo tamen limitationes vide supra in 1, *Decret.* tit. 31, § 2, n. 50 et 53, vel nisi potius ad eum appelletur; eo quod ille in hos nullam habeat jurisdictionem, nisi in causa appellationis ad illum interposita, et in quibusdam aliis causis a jure expressis arg. can. 1, *Nullus primas*, 7, cau. 9, q. 3, c. *Pastoralis*, 11, de *Officio ordinar.* ut proin archiepiscopus non possit absolvere a censura, quam in proprium subditum tulit episcopus illius suffraganeus, nisi ad eum a sententia censuræ appelletur.

245. *Quid operetur appellatio a censura comminata et lata?* — Quod bene fieri potest, ea tamen cum distinctione, quod si quis ante censuram jam latam ab excommunicatione illius appellet, excommunicatio a comminante amplius ferri non possit, et lata sit manifeste nulla, adeoque minime curanda: si vero post jam latam censuram appelletur, excommunicatio valet, suumque effectum habeat, ipseque excommunicatus pro tali habere se debeat, donec aliter declaret iudex ad quem, prout alibi jam diximus, et cum aliis bene observat Layman, lib. I, tract. V, part. 1, cap. vi, n. 1 et 2.

246. *Ab excommunicatione lata a jure vel homine per decretum aut sententiam generalem sine reservatione absolvere pro utroque foro potest subditum suum superior.* — Resp. II. Si excommunicatio lata est a jure, vel ab homine, v. g. episcopo, per decretum, vel sententiam generalem sine addita aliqua reservatione, ab illa in utroque foro absolvere suos subditos possunt superiores jurisdictionem externam in illos obtinentes, uti sunt episcopi respectu diœcesanorum, generalis respectu religiosorum totius ordinis, provincialis respectu subditorum provinciæ, abbas, prior, guardianus, rector respectu subditorum sui monasterii: immo pro foro interno etiam parochianorum, et quivis confessarius alias potestatem habens absolvendi talem ab aliis peccatis, Sylvester V, *Absolutio*, 1, n. 4. Navarrus, cap. xxvii, n. 39. Suarez, de *Censuris*, disp. 7, sect. 1, n. 23 et 28. Engel, h. t. n. 124. Innocentius, in c. *Nuper*, 29, h. t. n. 6, arg. cit. cap. *Nuper*, 29. Quamvis enim istud capitulum loquatur de sola excommunicatione minori, tamen, quia ratio ibidem data etiam de majori procedit, ibi: « Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, » ad eam quoque merito extendunt doctores citati.

247. *Et pro interno etiam parochus, et quivis confessarius, non item pro foro externo.* — Notanda tamen circa ultimam partem conclusionis verba: immo pro foro interno quivis confessarius, etc., quia absolutio ab excommunicatione, et aliis censuris a simplici confessario, qui superior censurati non est, pro foro externo non relevat, si excommunicatio est notoria, vel ad forum externum jam deducta, ut proin taliter excommunicatus non obstante absolutione a simplici confessario sibi data, debeat se in foro externo gerere tanquam excommunicatum, consequenter a communione, et divinis per excommunicationem interdictis abstinere, ac si absolutus non esset, adeo, ut transgrediens in aliquo, v. g. celebrans possit a jure dice ecclesiastico ut irregularis declarari et puniri, quamvis iudex id facere non teneatur, sed possit, si velit, absolutionem pro foro interno datam, etiam pro foro externo acceptare. Layman, lib. I, tr. V, p. 1, c. 7, n. 7. Avila, de *Censuris*, p. 2, cap. vii, disp. 3, dub. 12, § *Ex dictis*. Navarrus, lib. II, consil. ult. de *Judiciis*, n. 7, et alii. Ratio est; quia forum internum, et exter-

num, sunt quid valde distinctum; cum in illo præcipue spectetur salus animæ, et compensatio offensæ divinæ; in alio vero ad vindictam publicam pro terrore et exemplo aliorum, ac reipublicæ satisfactionem bonumque commune attendatur, ut proin absolutio pro foro interno non deroget, vel præjudicet foro externo, uti post nostrum Miranda, *Manual. prælat.* q. 46, a n. 7, et alios bene observat Layman, loc. cit.

248. *Absolutus a simplici confessario pro foro interno, quid possit in foro externo.* — Quod si tamen excommunicatio a jure vel ab homine per decretum, aut sententiam generalem lata, et non reservata est occulta, potest absolutus ab ea per simplicem confessarium, etiam publice habere omnem communionem in divinis, et politicis, uti cum aliis bene observat Layman, lib. I, tr. V, d. 1, cap. vii, n. 7, ubi etiam addit, posse in foro interno absolutum etiam notorium excommunicatum in occulto celebrare, et alia cæteroquin per excommunicationem prohibita agere, si omne scandalum abest, quamvis si deprehendatur, ut violator censuræ postea puniri valeat in foro externo. Porro quid parochi, et simplices confessarii observare habeant circa absolutionem publice excommunicati, dicitur intra a n. 257, item 267, et seq.

249. *Quis absolvat ab excommunicatione reservata.* — Resp. III. Si excommunicatio est a jure vel per sententiam, aut decretum generale lata, et auctor illius absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest præter ipsum reservantem, vel ejus successorem, vel delegatum ab eo, vel superiorem in sensu supra n. 253, declarato. Layman, loc. cit. Abbas, in c. *Ex frequentibus*, 3, de *Instit.* in 7, cum communi et certa aliorum, arg. c. *Nuper*, 29, h. t.

250. *Quis possit absolvere a suspensione et interdico?* — Quæritur III. Quis absolvere possit a suspensione et interdico? Resp. I. Sicut ab excommunicatione, ita et suspensione, et interdico, sicut censuræ feruntur per specialem sententiam ab homine, is solus, qui eas intulit, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior absolvere potest, per doctores, et jura supra n. 242, allegata, et in sensu ibid. declarato.

251. Si autem suspensio, vel interdictum a jure, vel homine per decretum, vel sententiam generalem latam est sine clausula reservationis, absolunt ii, qui in simili casu